



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Vita Antonij senis monasterj in Scopulo. Capvt XCIX.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

Deū profecisset frater ille, qui in fornicationem inciderat, migrauit ad Dominum. Mansit autem superstes frater in eadem spelunca iuxta iuramentum, quousque & ipse moreretur.

¶ *Vide quantum peccatum sit Monachum fornicari, cū propter illud perdat omnes labores suos.*

¶ *Ecce puluerem in signe penitentium.*

¶ *Ieiunium; & psalmodia sunt bonorum monachorum exercitia.*

CAPVT. XCVIII.

AD hunc fratrem post mortem alterius fratris veniens senex quidam ex monasterio Calamonis, ait illi: Dic mihi, frater: In tanto tempore solitariae vitæ, spiritualisq; exercitij, quid lucratus es? Dixit ei frater: Vade, & post decimum diem veni ad me, & dicam tibi. Senex autem abiens, post decimum diem redijt, inuenitq; fratrem migrasse ad Christum, & testam, in qua sic scriptum erat: Ignosce, pater, quia nunquam, dum opus Dei agerem, aut horis constitutis psallem, mentem meam dimissi in terram.

Vita Antonij senis monasterij in Scopulo.

CAPVT. XCIX.

Narrauerunt nobis patres eiusdem monasterij sancti patris nostri Theodosij, dicentes: Antehos annos defunctus est hic senex quidam, Antonius nomine. Is in vita sua maxime ieiunijs operam dans; profectus est in locum, qui Cotulas dicitur. Quadam ergo die cum esset in eremo, ecce Sarraceni in partes illas venientes viderunt senem. Vnusq; ex eis, educto gladio, venit contra senem volens necare illum.

illum. Senex autem vt vidit Saracenum contra se venientem, intuens in cœlum ait: Domine Iesu Christe, voluntas tua fiat. Statimque aperta est terra, & absorbuit Sarracenam illum, lenisq; saluatus est.

Vide quàm gratum Deo faciât hominē cōtinuā ieiunā.

Vita Petri pontici monachi.

C A P V T C.

Rursus narrauerunt nobis prædicti loci patres, quod illic fuerit quidam senex, Petrus nomine, genere Ponticus, multis, præclarisque virtutibus ornatus. De hoc sene Theodorus, qui fuit Episcopus Rosensis, dicebat, nobis quod die quadam conuenit illum ad Iordanem in monasterio Turrium, illic enim ieiunabat, eique dixit: Fac charitatem, frater Theodore, veni mecum in montem Sina, quia ieiunatio mea non potest perfici, nisi votum habeo. Qui cum nollet obedire, dixit ad eum: Eamus. Cum vero transisset Iordanem, dixit ad Theodorum senior: Veni, frater Theodore, oremus, vt vsque ad montem Sina nullus nostrum comedat. Ad quem ille: Verè, pater, ego hoc facere non possum. Prostratus autem se senex, & orauit & vsque ad Sina nihil comedit. Sumptis igitur illic sanctis mysteriis tunc & cibum sumpsit. Similiter & a Sina vsque ad Alexandriam ad sanctum Menam peruenit, nihil omnino comedente sene. Ibiq; denuo communicans, post communionem cibum sumpsit. Et a sancto Mena vsque in sanctam Ciuitatem venerunt, cum nihil omnino gustasset senior in via. Cum verò in sancta Christi Dei nostri Resurrectione percepisset veneranda mysteria, tunc demum accepit & cibum. In hoc ergo toto, tali tantog; ieiunio